

humidum radicale, seu balsamum naturale, ut nonnulli appellant, non facile separari, sed arctissimo nexu conjungi. Cum enim calor quasi gubernator vitæ nostræ esse debeat: in humido stabili ac permanente ipsum consistere, ut vita diutius protrahi possit, omnino debuit; humido scilicet non tenui & aqueo, sed oleoso & calido, quod partium similarium fibris ac staminibus insertum est; & humidum radicale nominatur, quod veluti vitæ nostræ radix sit, ἀρχήγονον, πρωτόγονον, primigenium, σύμφυτον vel ἑμφυτον, quasi à prima origine partium similarium substantiæ insitum sit.

An calidum nativum sit elementaris vel alterius naturæ.

Ut autem porrò natura & origo calidi nativi magis perspicua fiat: quæstio illa in primis discutienda; An calidum innatum sit Elementaris, an verò alterius naturæ. De quo præstantissimi Philosophi & Medici dissentiunt.

Eorum sententia, qui calidum insitum alterius, quàm elementaris naturæ esse statuunt.

Alii enim hanc substantiam alterius, quàm Elementaris naturæ esse statuunt. Atque hi principes in philosophia & Medicina viros suæ sententiæ patronos constituunt. Ut enim Platonicos taceamus: inter primos occurrit Aristoteles, qui expressis & disertis verbis, 2. de gener. animal. c. 3. Calidum hoc insitum elementaris naturæ esse negat. Ita enim eo loci πάσης ψυχῆς δυνάμεις ἑτέρου σώματ' ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρη τῶν καλεσμένων στοιχείων. ὡς δὲ διαφέρεισι πρῶτον αἱ ψυχαὶ καὶ ἀπὸ μίαν ἀλλήλων: ἔτι καὶ ἡ αὐτὴ δια-

φέρει φύσις. Πάντων μὲν γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅπερ ποιεῖ γόνιμα ἵνα τὰ σπέρματα, τὸ καλεσμένον θερμόν. Τὸ δὲ οὐ πῦρ, ἀδὲ αὐτὴ δυνάμεις εἶναι, ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι καὶ ἐν ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἢ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος ἔσται τῶν τῶν ἄστρον στοιχείων. Omnis anima potentia corpus aliud participare videtur, id est magis divinum, quam ea, quæ elementa appellantur. Vt verò nobilitate ignobilitateve anima inter se differunt: ita & natura ejus corporis differt. Inest enim in semine omnium, quod facit, ut secunda sint semina, videlicet quod calidum vocamus. Id est non ignis, neque talis aliqua facultas, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportionem respondens elemento stellarum. Et post: ὅτι μὲν ἔν ἢ ἐν τῆς ζωῆς θερμότης, οὐτε πῦρ ἔσται ἀπὸ πύρρος ἔχει τὴν ἀρχὴν, φανερόν. Calorem in animalibus, neque ignem, neque ab igne originem ducere, manifestum est. Quibus verbis Aristoteles duo clarè docet: calidum nativum non esse elementare, neque ab igne aut aliis elementis originem ducere, non tamen etiam cælestis esse naturæ, sed ἀνάλογον τῶν τῶν ἄστρον στοιχείων.

Conantur quidem hæc Aristotelis verba aliter nonnulli interpretari. Nā ajunt, calorem multa efficere non per propriam vim, sed per vim agentis primarii, quod est anima, diversasque actiones fieri, non ob diversitatem caloris, sed ob diversitatem utentis calore. Calorem nimirum

De sensu verborum Aristotelis discretio.

mimum